INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXV—LXXVI

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INEST

EDVARDI HILLERI DE ARISTOPHANIS AVIVM LOCIS QVIBVSDAM COMMENTATIO.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

FRANCISCVS SVSEMIHL

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

I.

In Avium fabulae initio Aristophanes duos senes Athenienses producit, qui de domicilio in alium locum transferendo epopis consilium exquirunt. Huic igitur exponunt, qualem potissimum urbem incolere cupiant. Et unus quidem postquam desiderium suum declaravit, alter ab epope quid ipse sentiat interrogatus respondet, hanc fere beatissimae urbis imaginem animo suo obversari (vs. 137 sqq.):

ὅπου ξυναντῶν μοι ταδί τις μέμψεται
ὥσπερ ἀδικηθεὶς παιδὸς ὡραίου πατήρ·
καλῶς γέ μου τὸν υἱὸν ὦ Στιλβωνίδη
εὑρὼν ἀπιόντ' ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον
οὐκ ἔκυσας, οὐ προσεῖπας, οὐ προσηγάγου,
οὐκ ὠρχιπέδισας, ὢν ἐμοὶ πατρικὸς φίλος.

In his verbis qua significatione positum esset Stilbonidis nomen, quo pueri pater amicum paternum alloquitur, scimus quaesitum esse iam antiquis temporibus. In scholiis enim veterum grammaticorum hasce explicationes servatas habemus: ὦ Στιλβωνίδη: (1) ὦ λαμπρὲ καὶ ἀπὸ βαλανείων κεκαλλωπισμένε. (2) ἢ ἁπλῶς ὄνομα κύριόν τινος λέγει. (3) ἢ Στίλβωνος παῖ. διασύρει δὲ τοῦτον ὡς παῖδα ἔχοντα, ubi emendandum διασύρει δὲ τοῦτον (Stilbonidem) ὡς παίδων ἐρῶντα: nam quod nunc legitur, Stilbonem vel Stilbonidem ab Aristophane exagitari quia filium habeat, idoneo sensu caret.

Erant igitur, qui σπιλβωνίδης formam patronymicam esse arbitrarentur adiectivi notione usurpatam.[1]) Quod si verum esset, nitorem splendoremque vocabulum significaret. At qua ratione id huic loco conveniat, non liquet: neque enim ulla est causa, cur in tali oratione amicus de corporis habitu loquatur. Quod autem vetus interpres addit nitidam corporis speciem quam lavando senex sibi paraverit ab altero commemorari, temere id fictum est propter verba illa de puero prolata ἀπιόντ' ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον. Longe tamen praestat grammatici illius inventum iis, quae Süvernius in notissimo libello de Avium fabula composito singulari quo uti solet acumine de hoc loco disseruit.[2]) Aliorum commenta, quibus nitorem senis explicare studuerunt, silentio praeterire satius esse videtur.

Itaque videndum, num vel alteri vel tertiae scholiastarum interpretationi assentiri liceat: notari ab Aristophane certum quendam hominem sive Stilbonidis nomen habentem sive Stilbone natum, sed diversum ab ea quae in scaena loquatur persona; quod autem senex flagitiosae libidini deditus ab amico se ita appellari fingat, eo irrideri a poeta Stilbonidis illius impuros amores. Verum ne hoc quidem ullam habet probabilitatis speciem, quia tale loquendi genus permirum esset ac prorsus inauditum. Quamvis enim saepe duos quos novimus homines hac vel illa re inter se similes esse dicamus, nemo tamen propter eam similitudinem unum nudo nomine alterius alloquitur; neque in sermonis Attici reliquiis tale quid usquam occurrere arbitror. Sic tantum probari fortasse posset illa opinio, si Stilbonidem omnibus notissimum fuisse censeremus, ut Aristophanes nomine eius tanquam appellativo uti posset. At hoc si statueremus, illud quam maxime esset mirandum, grammaticos Alexandrinos de homine propter hanc potissimum rem infami aliud testimonium ex poetarum comicorum fabulis adferre non potuisse.

Potest autem haec difficultas simplicissima ratione absolvi. Aristophanes enim eo quod seni Stilbonidis nomen datur nihil aliud significare vult nisi verum illud fuisse senis nomen; neque aliter audita hac appellatione spectatores rem intellegere potuerunt. Nullum in ea inest reconditum iocandi genus. Scimus nomina Graeca fuisse Στιλβίδης Στίλπας Στίλπων Στίλβων: itaque Στιλβωνίδης nihil singulare insolitumve habere apertum est; cf. Μνήσων Μνησωνίδης, Μύρων Μυρωνίδης, Σπεύσων Σπευσωνίδης, Χαίρων Χαιρωνίδης, Ἄνδρων Ἀνδρωνίδης, permulta eiusdem generis alia. Stilbonidis igitur nomen haud magis ob certas artis comicae rationes positum est quam nomina quae sunt Δερκέτης (Ach. 1028), Ἀγκυλίων (Vesp. 1397), Δράκης (Lys. 254. Eccl. 293), Βλέπυρος (Eccl. 327). Haec quoque nomina, quorum numerum facile augeri posse apparet, quamvis bene ex Graecae linguae analogia possint explicari, tamen non inter usitatissima fuisse videntur.

---

1) Copiose de talibus vocabulis Lobeckius ad Soph. Ai. v. 880 disputavit. Cf. praeterea Alcaei fragm. 150 Bergk. Welcker der ep. Cyclus II p. 321.

2) Ueber Arist. Vögel p. 50: „Wenn man aber die in die Maske des Peisthetairos gehüllten Personen durch dieselbe durchblicken sieht, so versteht man alsbald, dass es ein gemachter Name ist, den der Scholiast ganz richtig durch ὦ λαμπρέ erklärt, und mit welchem der Komiker den durch seine Beredsamkeit in ganz Griechenland, und in Athen, ihrem Mittelpunkte, insonderheit, durch seine λαμπάδες genannten Prunkvorträge mit dem grössten Glanz umgebnen Sophisten nicht minder als den äussern Glanz liebenden Demagogen zu erkennen geben wollte."

Sed dicet aliquis: quid ergo? Stilbonidis nomen tu ei tribuendum putas, quem Pithetaerum vocari Aristophanes voluit? Audio. Nos sane nomine quod est Pithetaerus iam inde ab initio comoediae utimur. Id autem ex consilio poetae esse nego; nam spectatores nomen illud aliquanto demum post audiverunt: vs. 645 senex ab epope de suo sodalisque nomine rogatus hoc responsum dat:

> ἐμοὶ μὲν ὄνομα Πειθέταιρος, τῳδεδὶ
> Εὐελπίδης Κριῶθεν.

Eo scilicet quo haec profert comicae actionis momento et alteri homini Atheniensi (optima nimirum spe impleto) et epopi choroque avium iam sibi amicissimo persuasit avium imperium suis ipsius auspiciis esse redintegrandum. At in prologo comoediae hominem loquentem audimus iocosum ac facetum, neque tamen diversum ab aliis Atheniensibus sescentis (nisi quod ex veteris comoediae indole extra naturae veritatisque normam ac rationem dictis factisque libere evagari ei licet). Itaque quod in hac parte ei semel tribuitur nomen, nullam habet animi factorumve hominis significationem: postea vero idem ubi ingentis facinoris auctor factus est propter tantam qua excelluit persuadendi vim atque artem novum sibi fingit nomen. Quod talium nominum formatione secutus sit consilium, nusquam clarius Aristophanes significat quam in Equitum fabula, ubi vs. 1257 isiciarius nomen quod moribus congruit his verbis indicat:

> (Δ. ἐμοὶ δέ γ' ὅ τι σοι τοὔνομ' εἴπ'.) A. Ἀγοράκριτος.
> ἐν τἀγορᾷ γὰρ κρινόμενος ἐβοσκόμην.

II.

Insigni auctoritate ac potentia vetustis temporibus gallum apud homines valuisse, Pithetaerus hac argumentatione comprobat (vs. 488 sqq.):

> οὕτω δ' ἴσχυέ τε καὶ μέγας ἦν τότε καὶ πολύς, ὥστ' ἔτι καὶ νῦν
> ἀπὸ τῆς ῥώμης τῆς τότ' ἐκείνης, ὁπόταν νόμον ὄρθριον ᾄσῃ,
> ἀναπηδῶσιν πάντες ἐπ' ἔργον, χαλκῆς κεραμῆς σκυλοδέψαι
> σκυτῆς βαλανῆς ἀλφιταμοιβοὶ τορνευτολυρασπιδοπηγοί.

Concluditur haec disputatio, si codicibus fides habenda est, verbis (vs. 492)

> οἱ δὲ βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι νύκτωρ.

Tum Euelpides:

> ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα.[1])
> χλαῖναν γὰρ ἀπώλεσ' ὁ μοχθηρὸς Φρυγίων ἐρίων διὰ τοῦτον·

narratque iis quae sequuntur, quo modo ipse nocturno tempore galli cantu excitatus veste spoliatus sit.

In versu 492 verba οἱ δὲ βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι apto sensu carere Theodorus Kock tam acute ac luculenter demonstravit (exercit. crit. p. 11), ut de hac re nemo iam possit dubitare. Minus tamen emendatio loci ei cessisse mihi videtur. Suadet enim ut scribamus οἱ δὲ βαδίζουσ' ἀποδύσοντες νύκτωρ, addita hac explicatione: „Tantum olim, inquit Pithetaerus, galli valuerunt

---

1) ἐμὲ τοῦτ' ἐρώτα codex Rav. Fort. ἐμὲ τοῦτ' ἐπερώτα

ut etiam hodie ad vocem eorum homines somnum excutiant et opifices quidem ad opus faciendum, grassatores vero ad homines spoliandos surgant. Noctu eos id facere addidit, non quo interesse aliquid inter nocturna et diurna negotia indicaret, sed ut vel invitos omnes ad galli cantum etiam multa de nocte expergisci doceret; cf. Horat. Epist. 1, 2, 32 *ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* Praeterea autem hac ipsa noctis commemoratione facillimus ad Euelpidis fabellam transitus paratur, quippe qui ipse quoque intempesta nocte galli voce excitatus vestem perdiderit."

Quod cur incredibile mihi videatur, complures habeo causas. Primum enim si Pithetaerus asseveraret, latrones qui noctu (νύκτωρ) grassentur galli cantu eodem modo ad negotium exsequendum excitari quo opifices matutino tempore (ὁπόταν νόμιον ὄρθριον ᾄσῃ, cf. vs. 496 κἀγὼ νομίσας ὄρθρον) surgentes, id mihi quidem non iocose sed inepte atque insulse dictum esse videretur. Deinde quid sibi velint Euelpidis verba ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα nemo adhuc docuit. Pithetaero dicta ea esse non possunt. Itaque si vera est tradita scribendi ratio, chorus avium, qui inde a vs. 470 ne uno quidem verbo quidquam interrogavit, nunc interrogare iubetur id (ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα) quod Pithetaerus quomodo sese habeat iam pro certo affirmavit (οἱ δὲ βαδίζουσ' ἀποδύσαντες νύκτωρ). Nonne id plane perversum est? Kockius quidem pro ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα substituit verba „hoc ego expertus sum": sed vellem accuratius exposuisset, qua ratione in tali potissimum colloquio in hanc notionem abire illa potuerint. Praeterea secundum Kockii explicationem temporis illa definitio ὁπόταν νόμιον ὄρθριον ᾄσῃ trahenda esset etiam ad οἱ δὲ βαδίζουσ' ἀποδύσαντες νύκτωρ: quae construendi ratio haudquaquam plana facilisque est ad intellegendum. Denique vero mutationem a Kockio propositam satis difficilem esse haud iniuria dixit Meinekius (vind. Aristoph. p. 92). Sed eo quod ipse coniectavit excidisse aliquid inter vs. 491 et 492 de nocturnis grassatoribus dictum, non tollitur obscuritas quae inest in verbis ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα. Coniecturam multo ante a Reiskio propositam οἵ τε βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι νύκτωρ ad sanandum locum non multum conferre apertum est. Herbstii autem sententia οἳ δὲ pro οἱ δὲ revocari iubentis et post νύκτωρ reticentiae figuram statuentis Kockius, cui eius notitiam debemus, idoneis argumentis refutavit. Attamen in eo quod pronomen relativum reposuit, Herbstius quid verum esset perspexit. Locus enim ne una quidem littera mutata ita conformandus est:

Π. οὕτω δ' ἴσχυέ τε καὶ μέγας ἦν κτλ.
σκυτῆς βαλανῆς ἀλφιταμοιβοὶ τορνευτολυρασπιδοπηγοί.
Χ. οἳ δὲ βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι νύκτωρ; Ε. ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα.

Sententia autem haec est. „Tanta fuit olim", inquit Pithetaerus, „galli potentia, ut etiam hodie sutores balneatores ceterique opifices omnes ad laborem diurnum cantu illius excitentur." Tum chorus hoc opponit: „(de illis quidem quod rettulisti verum est;) quid autem ii qui sumptis soleis h. e. relictis domibus[1]) noctu vagantur? (nam hos audito demum galli cantu ἐπ' ἔργον ἀναπηδᾶν non affirmabis.)" Ea interrogatio quid sibi velit nos sane non statim intellegimus: optime vero intellexerunt ii qui magnis Dionysiis anni 414 in theatro Bacchico haec verba audiverunt. Tum enim necessario ea interrogotio uni cuique Atheniensium in mentem

---

1) Cf. Becker Charikles III. p. 215.

revocavit recordationem hominum illorum qui decem fere mensibus ante relictis domibus noctu vagati erant ut impiis manibus Hermas detruncarent. Quod facinus quantam perturbationem quantasque miserias civitati attulerit, quam acribus stimulis omnium animos exagitaverit, nemo nescit. Huius igitur atrocissimae rei Aristophanes mentionem inicit, sed leviter et in transitu, sicut Alcibiadis damnationem fatalem exsiliumque antea memoravit (vs. 146 sq.). Forma orationis ea est, ut ad verba *οἳ δὲ κτλ.* interrogatio generalis ut puta *τί ποιοῦσι* sit supplenda; cf. vs. 360

Ε. *τί δὲ χύτρα νώ γ' ὠφελήσει;* Π. *γλαῦξ μὲν οὐ πρόσεισι νῷν.*
Ε. *τοῖς δὲ γαμψώνυξι τοισδί;* Π. *τὸν ὀβελίσκον ἁρπάσας*
εἶτα κατάπηξον πρὸ σαυτοῦ.

Post hanc igitur chori interrogationem Euelpides exclamat, non Pithetaerum, sed se potius de ea re esse consulendum[1]): in promptu enim se habere responsum, quo scrupulum a choro motum vanum esse firmissime possit demonstrare. Atque id facit tali nimirum argumentatione qualis veterem comoediam decet: nam ea quae sequitur narratione sane comprobatur, etiam eos *οἳ βαδίζουσιν ὑποδησάμενοι νύκτωρ* (in quorum numero Euelpides eo de quo loquitur tempore fuit) galli imperio obtemperare. Ita res tristissima in iocum et facetias convertitur; inest tamen etiam in his Euelpidis verbis aliquid, quo nonnulli fortasse e spectatoribus ad superioris anni memoriam excitati sunt. Erroris enim in quem Euelpides inductum se esse refert simillimus fuit is, in quem Dioclides, improbus ille fictarum rerum index, se incidisse ementitus erat: cf. Andoc. de myst. 38 *ἔφη γὰρ εἶναι μὲν ἀνδράποδόν οἱ ἐπὶ Λαυρίῳ, δεῖν δὲ κομίσασθαι ἀποφοράν. ἀναστὰς δὲ πρῳ ψευσθεὶς τῆς ὥρας βαδίζειν.*

III.

Pithetaerus postquam poetam miserabili inopia laborantem tunica donavit et abire iussit (*ἄπελθε τουτονὶ λαβών*), ille se obsecuturum esse respondet (*ἀπέρχομαι*). Qui sequitur versus (949) in optimis libris (dico autem Ravennatem, Venetum, Florentinum Γ) ita legitur:

κἀς τὴν πόλιν γ' ἐλθὼν ποιήσω ταδί

nisi quod *γ'* Florentinus omittit. (Pergit deinde poeta: *κλῇσον ὦ χρυσόθρονε τὰν τρομερὰν κρυεράν· νιφοβόλα πεδία πολύπορά τ' ἤλυθον· ἀλαλαί.*) Deteriores libri inter *ποιήσω* et *ταδί* inserunt *δή*: verum id nihil esse nisi veteris scripturae supplementum ab interpolatore profectum, iure Meinekius monuit, neque de hac re dubitare potest quicunque in tractandis Aristophanis fabulis paulo accuratiorem locavit operam. Ferri autem non posse illud *δή* vel eo efficitur, quod in Aristophanis comoediis ceterorumque comicorum Atticorum fragmentis nusquam nisi fallor inter *καὶ* et verbum finitum complura vocabula inseruntur, ubi statim post verbum finitum *δή* particula posita est. Accedit autem alia etiam maioris momenti difficultas. Quia enim locus quo proficisci poetae propositum est non indicatur, verba *κἀς τὴν πόλιν γ' ἐλθὼν ποιήσω δὴ ταδί* quivis sive

---

1) Cf. Ran. 1010 sqq.

Α. ταῦτ' οὖν εἰ μὴ πεποίηκας,
ἀλλ' ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέδειξας,
τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι; Δ. *τεθνάναι· μὴ τοῦτον ἐρώτα*

auditor sive lector primum ita construet, ut *εἰς τὴν πόλιν* ad *ἐλθὼν* pertinere existimet. Verum id fieri non potest. Versatur enim poeta in urbe avium (*πάλαι πάλαι δὴ τήνδ' ἐγὼ κλῄζω πόλιν* vs. 921); qui autem ex una urbe in aliam transmigrat, non potest eam quo profecturus est simplici *πόλεως* nomine significare. Itaque assentiuntur viri docti scholiastae, *εἰς τὴν πόλιν* ad *ποιήσω* trahendum esse. Atqui hoc si statuimus, *ἐλθὼν* intellegi plane nequit, ac praeterea in hac ipsa molestissima ambiguitate nemo non haerebit. Quae cum ita sint, etiam Meinekii coniectura *κἀς τὴν πόλιν γ' ἐλθὼν ποιήσω τοιαδί* reicienda est. Quod vero Kockius tentavit *κἀς τὴν πόλιν ἀπελθὼν ποιήσω τοιαδί* iam eam ob causam periculosius est quia pro simplici duplicem traditae scripturae mutationem continet[1]); certius autem quo Kockii opinio refutatur argumentum id est quod talis versus qualem Kockius conformavit a numerorum Aristophaneorum elegantia alienus esse videtur: cf. Enger Rhein. Mus. n. F. XIX p. 136.

Removentur omnes hae difficultates, si non in *ταδί* sed in *ἐλθὼν* vitium situm esse statuimus. Notum est, saepius in Aristophanis libris antiquae scripturae lacunas temerariis commentis esse expletas[2]). Nonnunquam autem veteres interpolatores hac opera ita functi esse videntur ut, quo facilius sibi redderent emendandi negotium, vocabulis uterentur a poeta aut ante locum corruptum aut postea usurpatis. Supplementa huius vel similis generis, quae in Avium fabula repeiriuntur, hic apponam[3]).

vs. 13 sqq. *ἡ δεινὰ νῷ δέδρακεν οὐκ τῶν ὀρνέων*
ὁ πινακοπώλης Φιλοκράτης μελαγχολῶν,
ὃς τώδ' ἔφασκε νῷν φράσειν τὸν Τηρέα,
τὸν ἔποφ' ὃς ὄρνις ἐγένετ' †ἐκ τῶν ὀρνέων.
102 *Τηρεὺς γὰρ εἶ σύ; πότερον ὄρνις ἢ †ταὧς;*
(cf. 269 *νὴ Δί' ὄρνις δῆτα· τίς ποτ' ἐστίν; οὐ δήπου ταὧς;*)
164 sqq. *ὅ τι πίθησθε; πρῶτα μὲν*
μὴ περιπέτεσθε πανταχῇ κεχηνότες.
ὡς τοῦτ' ἄτιμον τοὔργον ἐστίν. αὐτίκα
ἐκεῖ παρ' ἡμῖν †τοὺς πετομένους ἢν ἔρῃ
τίς †ὄρνις οὗτος; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί·
ἄνθρωπος ὄρνις ἀστάθμητος πετόμενος,
ἀτέκμαρτος, οὐδὲν οὐδέποτ' ἐν ταὐτῷ μένων.

---

1) Nititur quidem Kockius scholiastae verbis *ἀπελθὼν ποιήσω τὰ ποιήματα εἰς τὴν πόλιν.* Sed in emendandis poetae verbis scholiorum auctoritas fere nulla est (excepta quae uno tantum codice nobis servata est Thesmophoriazusarum fabula), neque omnino ex illis verbis concludi potest, *ἀπελθὼν* a scholiasta esse lectum; cf. v. gr. schol. ad vs. 156 *ἐς τὴν τριβήν: ἀντὶ τοῦ „εἰς τὴν διατριβήν."* schol. Thuc. I 26, 4 *ἀλλὰ στρατεύουσιν ἐπ' αὐτούς: καὶ ἐκστρατεύουσι κατ' αὐτῶν.*

2) Cf. schol. Vesp. 1272 schol. Av. 1343. Dindorf Arist. com. tom. III p. VI sq. ad Pac. 390. ad Av. 333. Meineke Vindic. Arist. p. 113.

3) Concedo tamen, non ubique diiudicari posse, utrum interpolatione an librariorum neglegentia ortae sint eius modi corruptelae.

1037 sqq. Ψ. ψηφισματοπώλης εἰμὶ καὶ νόμους νέους
ἥκω παρ' ὑμᾶς δεῦρο πωλήσων. Π. τὸ τί;
Ψ. χρῆσθαι Νεφελοκοκκυγιᾶς τοῖς αὐτοῖς μέτροισι καὶ σταθμοῖσι καὶ
†ψηφίσμασι καθάπερ Ὀλοφύξιοι.

1342 sqq. οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον·
ἐρῶ δ' ἔγωγε τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων.
ὀρνιθομανῶ γὰρ καὶ †πέτομαι καὶ βούλομαι
οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν κἀπιθυμῶ τῶν νόμων.

1439 sqq. οὐκ ἀκήκοας
ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε
τοῖς †μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί;
δεινῶς γέ μου τὸ μειράκιον Διιτρέφης
λέγων ἀνεπτέρωκεν ὥστ' ἱππηλατεῖν.

1556 sqq. ἔνθα καὶ Πείσανδρος ἦλθε
δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν ἥ
ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπε,
σφάγι' ἔχων κάμηλον ἀ
μνόν τιν', ἧς λαιμοὺς τεμὼν ὥσ-
περ ποθ' οὑδυσσεὺς †ἀπῆλθε,
κᾆτ' ἀνῆλθ' αὐτῷ κάτωθεν
πρὸς τὸ λαῖμα τῆς καμήλου
Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς.

Idem igitur quod his locis etiam nostro accidisse puto. Ad explendam lacunam quae fuit in versu

κἀς τὴν πόλιν . . . . . . ποιήσω ταδί

inserta sunt propter versum praecedentem ἄπελθε τουτονὶ λαβών. ἀπέρχομαι verba γε ἐλθών nec numerorum nec sententiae habita ratione. Corruptelae vestigium obscurasset interpolator, si κἀς τὴν πόλιν παραχρῆμα ποιήσω ταδί scripsisset. Nos ut nunc res est de genuina versus forma ne coniecturam quidem facere probabiliter possumus, quia ad supplendam sententiam nihil quod necessarium sit desideratur.

IV.

Impius adulescens, qui ut patrem impune violare sibi liceat in avium civitatem recipi vult, ubi indignabundus haec exclamavit

ἀπέλαυσα τἄρα νὴ Δί' ἐλθὼν ἐνθαδί,
εἴπερ γέ μοι καὶ τὸν πατέρα βοσκητέον

Pithetaerus ita respondet (vs. 1360 sqq.):

οὐδέν γ'. ἐπειδήπερ γὰρ ἦλθες ὦ μέλε
εὔνους, πτερώσω σ' ὥσπερ ὄρνιν ὀρφανόν.

σοὶ δ' ὦ νεανίσκ' οὐ κακῶς ὑποθήσομαι,
ἀλλ' οἷάπερ αὐτὸς ἔμαθον ὅτε παῖς ἦ. σὺ γὰρ
τὸν μὲν πατέρα μὴ τύπτε κτλ.

Quorum versuum tertius et quartus (1362 sq.) duas ob causas in vitii suspicionem vocati sunt. Kockius enim in eo offendit, quod *σοὶ δὲ* tanta cum vi in versus initio sit positum; praeterea Curtius Bernhardi in accuratissima quam de incisionibus anapaesti comici composuit dissertatione numeros versus 1363 vitiosos esse contendit, quia anapaestus ita comparatus ut vox hyperdisyllaba terminetur in altera thesis syllaba, in secundo et quarto pede hac tantum condicione admittatur, si voces anapaestum formantes arte inter se cohaereant et semiquinaria caesura satis insignis versum distinguat[1]) Itaque Kockius aut ante vs. 1362 unum versum excidisse aut *καί σοι* pro *σοὶ τ' ὦ* reponendum esse coniecit, ac iam antea eadem ut videtur causa permotus Bergkius *σοί τ' ὦ* tentaverat; Bernhardius autem *ὥσπερ* pro *οἷάπερ* restitui iubet. Ego vero etsi argumentis haud levibus librorum scripturam ab utroque suspectatam esse concedo, tamen ob causam longe graviorem genuinam eam esse persuasum habeo. Etenim Pithetaerus ut iustitiae pietatisque leges adulescentulo in memoriam revocet, verbis utitur non suis sed Theognidis (vs. 27 sq.), quae ille sicut omnes pueri honestis familiis oriundi a ludi magistro olim didicerat[2]). Ecce poetae Megarensis verba:

σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι οἷάπερ αὐτός,
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.

Hac ratione satis excusari atque explicari et verborum collocationem minus commodam et insolitam anapaesti incisionem, non est quod accuratius exponam.

---

1) Acta soc. philol. Lips. I p. 272.
2) Cf. Bernhardy Grundriss der griech. Litt. II 1 p. 531.